

triculis, seu Officialium albo, debebant; l. 10. C. de Cohort., l. 16. de testam. milit., Pancirol. notit. dignit. imp. orient. c. 9. & 159. Indicium quoque dignitatis erat, quod inter Officiales adnumerarentur.

Apparitores vero prætoriani digniores erant, quia ad gradum vel Cornicularii, vel Commentariensis, prout erat opus, promovebantur. Cassiodorus l. 1. variar. l. 7. Ex Pitisco horum munus erat; jussa Præfecti implere, litigantes in judicium introducere, acta scribere, recitare, & partibus edere, sententias scribere, atque exequi, & alia judiciorum necessaria peragere. Constant hæc omnia ex l. 1. & 2. C. de prin. agen. in reb., l. per Illyricum 9. C. de Cohortal., l. ult. C. ut intr. cert. temp. Ac tandem infirmis mulieribus, & egregiis viris, domi juramentum deferebant. Habetur ex Justinian. Novell. 124. §. 1., & §. fin. autem authent. Ut litigant. jurent. *Si aliqui litigantium nequeunt ad Judices venire, jubemus dirigi ex officii ministrantibus aliquos, ut eis presentibus sacramenta præbeantur.*

Ut ab aliis distinguerentur Apparitores clarissimorum Magistratum, cooperiebantur vestibus distinctis; nimirum discoloribus penulis, seu palliis. Et pro cingulo laneam fasciam, a dextro humero in sinistrum latus descendentem, adhibebant. Ex Gratiano habemus l. 1. C. Theod. de habit. quo intr. urb. uti oportet: *Officiales, per quos statuta complentur, ac necessaria peraguntur, uti quidem penulis jubemus, verum interiorem vestem ad modum cinguli obserare, ita tamen ut discoloribus quoque pectora contegentes, conditionis suæ necessitatem ex hujusmodi agnitione testentur.*

J. Vincentius Gravina, conterraneus noster, in Græcis & Latinis literis ad admirationem excultus, & de politiori juris scientia optime meritus, in suo de ortu